Hume D. Chalmers G.

From the library of
SIR R. LEICESTER HARMSWORTH, BART.



32. B. 18.

Hume D. Chalmers G.

From the library of
SIR R. LEICESTER HARMSWORTH, BART.



32. B. 18.

5212

DAPHN-AMARYLLIS.

AVTHORE

DAVIDE HVMIO THE-

AGRIO, VVEDDERBVR-

NENSI.

——*Cedite, quicquid*
Orbis habet, nec magnum usquàm temerate LEONEM.

Gen.49. גור אריה יהודה

τὸ ἔτ ωθεν, βλέττερον.

LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1605.

IACOBO BRITANNIARVM, ET GALLIARVM REGI

verè maximo, ſalutem verè maximam.

AN non per magnitudinem iſtam licet, IACOBE, regum orbis optime, nobis quoque paſtoribus uſurpare nomen tuum, ſalutare, gratulari? an ne amare quidem, aut benè precari? Audere jubet omnia bonitas tua, & hoc ipſum dubitare crimen vocat. Illud verendum ne ſeriùs acceſſerimus. At tibi fortaſſe vix dum à primis novi regni laboribus quies eſt. Et quî te ſerò laudet quiſquam, quem ſemper meritò laudẽt omnes? Quin ſi probes, non ſerò; ni probes, nimis citò. Nos tamen juvat in partem publicæ lætitiæ venire. Tu ſi quid agat tua Caledonia veteris adhuc amoris memor requiris, en quæ oſtendit Muſa ruſtica, te aves canere; reſponſare valles; prædicare Alpheſibæum nobilem paſtorem; etiam obſcurum Celiovedum; id eſt homines omne genus, urbanos, ruſticos; notos, ignotos, magnorum, nullorũ uſuum ſibi conſcios: te tamen uno ore fremere; tibi, ſibi; Reip. inſulæ; eccleſię, orbi; privatim, publice gaudere, gratulari; omnia magna, fauſta, ominari, precari, præſagire. Nec ſibi tamen ſatisfacere, nec ſe ſatis exprimere. Quin cũ plurima dicant, plura cogitent; cùm omnia precentur, plura cupiant; cùm maxima concipiant, majora expectent: floreſcere virtutem, marceſſere ignaviam, excindi vitiorum hydram; extirpari tyrannidũ monſtra, per

te verũ Herculem. Quæ,& ſimilia,in omnium nunc ore, an magniloquentiũ hyperbole; & non potiùs omina, ac ipſius Politices tacitè ſe hominum animis inſinuantis, ipſiſſimæ voces habendæ ſunt? Et quicquam jam poteſt poſt hos progreſſus arduum erecto animo videri? quicquam non pronum illi, qui hæc tibi jam præſtiterit? Sive media circumſpicis; ſive per illa ad authorem erigeris; in cauſas inquirens, & expendens? an vulgare quicquam; an mediocre putandum, cui te paret, quod à te exigat? tot ingenii, naturæ, fortunæ dotibus, externis, internis; opibus, adminiculis, fulto, ornato, aptato, ſi quis unquàm, ad maxima quæque perficienda. Et quid hoc, quæſo, aliud eſt, (ſi inter conſultiſſimorum turbas, hoc quoque nobis paſtoribus licet) quàm ad PIETATEM (quâ nulla nunc per orbem miſerabilior perſona; nulla te dignior, nec quæ curâ tuâ magis egeat,) intra tuos primùm fines ſtabiliendam, mox & alienos inferendam? Et ſane, ſi politicorum hominum rationibus accedimus, tu unus totius forſan orbis es, cui PIETAS etiam utilis ſit; & propagando imperio aptiſſimum inſtrumentum. Si quidem fas id foret: ac non potiùs propter ſe ſuſpicienda eſſet, rerum Regina, SVMMA. Dic IACOBE, rex verè maxime; dic Schelomo, eadẽ experte, an alibi acquieſcere poteſt animus? an eſt in rerũ hoc faſtigio quod impleat, quod ſatiſfaciat? aut dignũ ſentis quod agas; quo te impẽdas; quo torqueas? Dic inquã: teq́; interea iis artibus magis, magiſq́; attolle; quantum te nuper ſupra antiquum tuum regnum ſuſtuliſti; iiſdem præſagiis haud magis in futurum irritis. Nemo te unquam majore omnium favore, ad regni gubernacula acceſſit; nemo majore expectatione animos excitavit, aut grandioribus votis, & vocibus ora hominibus aperuit; ut omnes omnia optare, ſperare, profari audeamus,

deamus, tui quantulicunque, etiam in Lamyriis aut Ocellis hiſce montibus paſtores, exultabundi, gratulabundi; quòd in hæc tempora incidimus; quòd hæc oculis, aut auribus hauſimus; locatum te hoc in ſolio, hoc in marmore; ſpectandum orbi; mirandum. Cui tanto gaudio ſi impares, anguſti ſpiritus, opiliones (ideoque noſtri minùs memores interdum, aut compotes,) nec cohibere affectus, nec orationem, ut nunc fortaſſis, inchoatam, poſſumus; aliáve aliquâ impingamus, aut labamur, ſit tuę, humaniſſime Principum, humanitatis; ignoſcere: ſit connivere, nec anxiè inquirere. Quin amorem interpretari libeat; & excuſare, ruſticæ, eſto, ſed tuæ tamen Phyllidis errores; & ejus qualiũcunq; alumnorum: dum te certatim, quiſque pro virili ſua, ornare nitimur. Quod ſi aut magni poetæ, aut grati paſtoris ſubinde occurrat illud,

Phyllida amo ante alias; nam me diſcedere flevit,
Et longum formoſe vale, vale (inquit) Iola,

Haud adeo cuiquam invidioſum eſſe poteſt deſertæ, & tot commodis viduatæ ſolamen. Sic faxit. Sic bonorum omnium deliciæ, ſic orbis decus diù VIVE, VALE, REGNA. Amen.

Caledoniorum tuorum minimus

D. Humius.

Ad Librum.

Abi verendas maximi in regum manus,
Videt ſuperbâ Luna quotquot orbitâ
Magni recurrens axe ſub claro poli,
Et credo ineptus, & ſcio incultus Liber;
Nec dignus ulla ex parte tanti principis
Vultum, nec acris ferre Lumen ingeni,
Scandentis aſtra celſa penna præpete
Volventis alto magna mentis impete
Ingentis. Is ſi te roget, qua maxime
Refretus; altos ſumpſeriſq; ſpiritus,
Auſúſque ſacra irruperis negotia:
Haud expaveſcens dic, voluntate unicâ.
Nam quæ placere cunque poſſent cætera;
Cultum, nitorem carminis, decentiam,
Sententiarum pondus, efficaciam,
Præſtabit ipſe; forte vel fruſtrà exigat
A vate quoquam: quippe ſolus poſsidet,
Donata, danda, principi, vel ſubditis:
Iunonis almæ dona, magnæ Palladis,
Phœbi canoros barbito dulci modos.
Fortuna quod dat, quod dat ars, quod indoles;
Externa, quin interna, quæque uſquam bona:
Rex quæ poëtis, det; poëtæ regibus:
Solúſque regum concinit vatum choro;
Solúſque vatum regis in ſubſellio
Sedet; ſubactis jura dans mortalibus:
Hoc juris æqui dicat: ut quæ poſsidet
Det ipſe danda, deſinat vel poſcere.

Ad

Ad Lectorem.

AVdivi (Lector) obscura hæc visa; & dolui: doluerǫ́que, si culpam meam putem. Nunc in vocibus nulla obscuritas; ut nec peregrinitas, nec insolentia: at nec in vocum constructionibus, phrasibus, aut hyperbatis. In rebus ut fortè sit propter continuam allegoriam, cùm & ea vulgata sit, haud multa esse potest attento te, & quid agatur gnaro. Illud subvereor, ne Echo ad finem versuum affixa judicium distrahat; ut dum utrique intendis, neutrum attendas. Et erat de illa admonitiuncula margini ascripta, quæ Typographo inter excudendum, nescio quomodo, prætermissa est. Nunc paucula hæc oro, exoratum te sine.

1 Carminis contextus per se primùm perlegitor, dijudicator, expenditor: Echo interim omissâ; & vel prius, vel pòst lectâ.

2 Bucolici carminis morem vulgatum adumbrandis rebus advertito: præcipuè in nominibus Synecdochen memento.

3 Alioqui, ne nimis allegoriam cogitato, si quâ occurrat, admittito. Ni occurrat, ne anxiùs investigato, tantùm Prosopopœiam agnoscito, & ubi opus substituito.

4 Hoc autem quo rectiùs fiat, supra omnia quid agatur attende: & semper ante oculos habe.

Nempe cani sub Daphnidis nomine Serenissimum IACOBVM Regem functæ Reginæ in Regnum Angliæ succedentem; quæ & ideò cum honore sepelitur; & sub Amaryllidis nomine lugetur, laudatur, canitur; & ex ea vivâ, commoda; ex functâ, incommoda: ut meliùs appareat, quæ incommoda sustulerit ille; quæ commoda attulerit. Hinc Inscriptio DAPHN-AMARYLLIS; & compositionis ratio (ut & hoc obiter indicem) præter molliorem sonum, etiam prærogativa quæsita, præposito Daphnidis nomine; qui præcipuus; & propter quem Amaryllis: licèt illa tempore prior, priorem alioqui locum in compositione vendicare jure posse videretur. Hæc summa (Lector) hos pastores; his aptos greges, pedum, caulam, & similia cogita: haud erunt fortasse cætera, ut haberi audio, difficilia.

Ecloga prima, cui nomen PHILOMELA.

FOrmosam mœstæ lugent Amaryllida sylvæ
Extinctam: Coryli tenues, tenuésque myricæ,
Et lacero quercus, & pullo crine cupressi.

Illam Hamadryades; liquidâ illam Naiades undâ;
Et largum lachrimantur Oreades. Aſpice, celſo
Quanta ſupercilio devolvunt flumina montes!
Et riguos totis irrorant fontibus agros:
Auctum ſenſerunt Tameſim Nereides; imos
Planxêre & thalamos, & pleno littora fluctu.
Ipſe caput quaſſans demittit Cornua Cervus,
Pertæſus vixiſſe adeò, & vidiſſe dolorem
Immanem; nullâ dum carpit pabula ripâ.
Et voluit cædi, & venienti pectora telo
Obtulit. Aut denſas fugit indignatus in umbras,
Dextram non, Amarylli, tuam. cui ſæpè ſolebat
Cedere; & ingenti moriens procumbere lapſu.
Triſte ſilet Philomela: aut triſte ſilentibus arvis
Ingemit. una cavum reſponſat cautibus Echo.

Annos larga poli dedit indulgentia: plures | *res.*
Sed voluêre illam paſtores cernere culmos, | *mos.*
Fæturaſq; gregis. vota hæc: hic undique clamor | *amor.*
Mulcebat venienti aures. veſtigia tantum | *Tantum*
Si tulit in ſylvas; Salices, humiliſq; Geniſta | *iſta*
Concipere ingentes animos; & credere ſolo | *ſolo*
Hoc ſe fælices viſu. ſic omnia nutu | *nutu*
Et properare armenta, & ſiſtere. Nulla tremores | *mores*
Senſit ovis præſente lupo. quin auſa peregit | *regit;*
Sæpe reum (videt urſus atrox, catuloſq; reformat | *format.*
Erudiens) ſive inſidias per denſa ſalicta | *Ictâ;*
Fugit: ſeu timuit natæ. Aſt Amaryllida fata | *ata*
Cùm tulerunt: fremit ille; feroxq; reſumere torvos | *vos,*
Aſpectus. trepidare capræ; atque horreſcere vanos | *nos*
Ipſe aries ſtrepitus, ſeu frons crepet arbore, manet | *manet*
Seu ſtilla. ut gregibus ſcandit ſecreta remotus | *motus,*
Saxa caper! quantos præmugit bucula fluctus | *luctus.*

Et

Et mihi, neſcio quid, media de valle reclamat. | At
O vafra ne vulpe : truci tractúsve lupo, ne | (o!) ne
Grex gemat: & lacerâ fœdatus viſcera pelle, | pelle
Aut Rhodanũ fugiẽs bibat, aut Indũ exul Hydaſpem: | ſpem
Sume animos caper; & venientibus objice cornu: | cornu
Haud temere acer Hylax ad limina gutture pleno, | pleno
Inſidias latrat. paſtores claudite ſaltus. | altus,
Aut propera, LEO fulve, tuumq; pedum cape iuſtus: | Iuſtus
Seu genus Hectoreo, ſeu ſanguine clarus Achilleo: | leo;
Quò te fata vocant, quò nobile marmor; & ingens | ingens
Auguriis ſpes; & mentis præſagia veræ. | verè
O ſi vicinis addens ſe è monticulis grex | rex,
Hæc in paſcua, & hanc caulam conſpiret, avitam | vitam
Aſſocians curámque vigil, fortíſque laborem. | rem
Quos latè ſaltus, & quam formoſus inundet | det,
Grex jam Daphni tuus! Fluvium ſeu propter Oaxem | (ô!) axẽ
Seu mavis Tyberim. Interea non frigida mulctra | ultra,
Æſtati, non lac deerit, non culmus ariſtis. | iſtis.
Iámque Ceres, viridem telluſq; ornata capillum | Illum
Iam blandum primo rident tibi lilia vere: | verè
Ipſa placéntque ſibi ſic, præcocia: En nitet omnis | (omnis
Terra roſis : & nix illas, & purpura ſpargens | gens)
Accumulat Tyrias. Quam rarâ ingentia famâ | ama
Rura fremúntque, ſtupentq; ! ut pulſæ pollice chordæ, | corde,
Exultátque tuas meditari fiſtula laudes! | laudes
Et meritò volucréſque, feræq; ſequuntur honore ! | ore.
Faſcine abi; livórque ; & tu metus exul ab ora | orâ;
Daphnis oves qua paſcit; agens. Si tempora vivat | vivat,
Plena ſatis Daphnis : jam Pan, jam paſcua regnet | regnet
Arva Pales rurſus. Rurſus volventia fœlix | fœlix,
Sæcula cervus agi mirabitur aurea: lætus, | lætus.
Pabulaq; agnoſcet, quæ carpſerat hinnulus, ora | orâ;

Dictamno vacuus, non ille volantia rursus | *rursus:*
Tela timet lateri, aut latitantia retia flore. At | *Floreat*
Dextra negat Cornix, fatisq́ annisq́ renatis | *natis*
Tales se vidisse dies: queis vivere solo | *solo*
Securæ volucres possent sub tegmine cælo | *cælo,*
Vulturio intactæ, atque Aquilæ. Ergo omina charus | *charus,*
Noctifugo Phœbo, tibi sed cedens, Leo, gratus | *gratus;*
Clara canit Gallus sub lucem: haud Roma Britannos | *annos*
Impia jam metuet frustra: aut terrebit insultos | *multos.*
Tarpeius torquens fremebunda tonitrua flamen. | *Amen.*

Quod si non displicet rythmus, addi possit
Animalium hic Chorus.

Finierat fremere omne nemus, pecudesq́, feræq́: | *æquè*
Sic eat (ô!) dum fronde caper, dum per juga gramen | *Amen.*
Pascentur tauri; aut alta ad brumalia stramen: | *Amen,*
Dumq́ æstu pecori; Zephyriq́, undæq́ Levamen: | *Amen,*
Fatorum hoc Atropos confirmet numine stamen. | *Amen.*

Admonitio ad intelligendam Echo.

IAm Echo, si nolis, aut non vacet, securus præterito. Non illa primarium locum tenet, sed secundarium; eumque precario: ornatui se fore & decori pollicita. Si fidem fefellit, apage perfidam; non tanti est, ut te torqueat. Nec ego sic ingeniosus videar. Delectare te volui (Lector) non angere: idque sacrum habeo; nec sciens volens in hoc peccem. Adeò ut & hic, cùm audirem offensionem Echo nonnullis fuisse, tollere eam statuerim. Sed subiit animum religio, Daphnidi tam amicam & benevolam violare: aut silentium, illùm quomodocunque celebranti imponere. Occurrit etiam, posse aliquibus molestiæ non esse: posse placere, & delectare. Horum rationem habendam esse: cæteros hactenus admoneri, ut quòd nolint ipsi, prætereant; aliis, qui fortè volent, relinquant.

Itaque

Itaque quisquis es, qui & hîc laborem nostrum videre vis; sic illam respondentem considera.

Primis tribus versibus singulis, singulas voces subjicit; *Philomelæ*, subditorum vota reginæ suæ benè precantium, canenti, aut assentiens: (ut in voce (RES) aut causas reddens: primo consuetudinem, (in voce MOS) est enim subditorum mos, benè precari Principibus, & faustis acclamationibus venientes prosequi. Deinde veram benevolentiam (in voce AMOR.)

Inde ex suis responsionibus orationes continuas contexit: quas videre est, suis quasque punctis, & membris distinctas: quæ diligenter attendenda: quippe neglecta non parvam fortassis huic obscuritati causam dederint. Tamen ut omnia faciliora tibi sint, non grauabor ipsas orationes oculis subjicere, uno intuitu inspiciendas.

Et primo est, functæ REGINÆ EPITAPHIVM, in quo Echo LAVDEM hanc canit:

Tantùm ista solo nutu mores regit, format.

Hunc LVCTVM:

Ictâ: ata vos; nos manet motus, luctus.

Tum est in *Adventum*, Serenissimi REGIS *Congratulatio*: ubi *Consolatio, Laus, & futura BONA.*

At (O!) ne pelle spem, cornu pleno, altus, Iustius, Leo, ingens verè REX, vitam, rem det (ô!) axem ultra istis.

Ad eum colendum, *Exhortatio* hæc.

Illum verè omnis gens ama corde, laudes ore.

Ad benè *precandum*, & Formulam concipit:

Ora: vivat, regnet fœlix, lætus.

Et *Orationem* ingeminat;

Ora rursus: floreat natis, solo, cælo, charus, gratus annos multos. Amen,
Æquè Amen: Amen, Amen, Amen.

Quòd si adhuc libet perspicere an hæc ita sint, & quomodo præstita: facilè erit singulas voces versibus suis aptatas componere.

Tu expende (Lector) & conatibus fave: laborem agnosce, & ignosce, facilis, erroribus. Quin ipse aggredere, majore ingenio, otio, fortunâ: & perfice. Novumque DAPHNIN, novo artificio orna.

Et hæc quidem doctioribus satis: fortè plus satis. Nec pigebit tamen, ut & rudioribus per omnia consulam, ampliorem expositionem, præsertim allegoricam hîc attexere. Tantum, candorem paciscar, id est, veniam, Lector: aut amicam admonitionem, si quid tu aliter faciendum fuisse existimes.

Allegorica expositio.

Formosam] Corporis nempe: sed magis animi dotibus. *Lacero, pullo crine*] ut lugentes solent. Alluditur ad quercus folii illam formam; ad Cupressi illum colorem, quæ etiam funeribus dicata. *Et viguos totis*] Allusio ad anni eam tempestatem; pluviam, & nivium resolutione amnes augentem. *Planxere*] plan-

et is lugentium est: & mare dicitur littora plangere. Sic proximo versu, *Caput quassans demittit cornua Cervus*] Animal vicissimum, longævus quisque, qui sub Reginæ imperio diutissimè vixerit. *Cui sæpè solebat cedere*] Hoc illa lusu usa dicitur, ut balistâ inter venandum Cervum feriret. *Philomela*] Id est, quisquis melodiam & Musas amat: hoc innuente voce, sive ætimologiâ suâ, sive per Synecdochen. Ergo Poetæ præcipuè, & literati quivis. Canit autem primò LAVDEM: ubi hæc præcipua: subditorum verus amor: summa reverentia, promptum obsequium: securitas ab injuriâ ferendâ: metus deterrens ab inferendâ ob exercitam justitiam: in quibus hæc vulgata *Genista*] Id est, infimæ sortis homines: Ovis, innoxii & infirmi; *Lupus, Vrsus*, noxii & violenti. *Catulosq; reformat erudiens ursus*] Fertur id animal informem partus massam lambendo effingere, & formare. Huc alluditur, & ad mores transfertur. *Ast Amaryllida fata cùm tulerunt*] Hic eâ mortuâ LVCTVM canit. Quòd resumat ferociam licentia se professa: Turbata omnia: metus infirmis: ne potentibus quidem securitas; omnibus de re privatâ, publicâ solicitis. Vbi *Capræ*, infirmiores; *Aries, Caper*, gregis duces, & Magnates. *Seu fons crepet arbore*] Id est, levissimâ quâq; de causâ. *Scandit saxa*] nempe sibi, quâ potest, cavens. *Præmugit bucula*] Id est, mugiendo præsagit, aut prædicit, rerum fluctus ac tempestates. est inter tempestatum prægnostica; vide Virgil. in Geor. *Nescio quid reclamat*] Echo erat: at illa, seu nesciens, seu dissimulans, ad amplificandum metum trahit; gemitum innuens oppressi regni; aut opprimi metuentis; adeoque sedibus fortè pelli, proximo ver. Per aversationem, *O vafra, &c. ubi vulpes*, fraus, vel fraudulentus est; *Lupus vis*, vel violentus: à quibus utrisque regno illi periculum. *Rhodanum, Hydaspem*] Fluvii sunt Galliæ, Indiæ, i. quocunque locorum. *Sume animos caper.*] Remedia horum malorum, ut animis, fortitudine & constantiâ resistatur: cornu, id est, viribus & Marte. etiam consilio & prudentiâ præveniendo pericula, *Claudendo saltus*, id est, regni omnes aditus: quæ omnia à prudentissimo consilio facta, armatâ classe, vetitâ transvectatione, & c. demùm, (quod unum verum remedium, quoque omisso, cætera frustrà futura fuerant) VtIACOBVS Rex, Iustus, hæres, fatis debitus, auguratione mentium ab hominibus designatus, spei plenus & mentis suæ præsagiis regnum suum capesseret: idque incunctanter aliis posthabitis. est autem *Caper*, dux gregis, ut suprà, quisquis is fuerit, à cujus prudente consilio, potentia, fortitudine, res acta sit; sive is unus aliquis fuerat; sive plures, junctâ operâ. *Hylax*] canis nomen, sagacissimus quisque. qui an meritò insidias undelibet aut interregno, aut novo regno subolfecerit, quivis judicet. *Pastores*, i. Magnates; consilium illud.

LEO *fulvus*] Serenissimi regis insignia, notiora quàm ut admonitione egeant. At nihil debuit, aut potuit, vulpi, & lupo, fraudi & violentiæ, potiùs opponi, quàm generosum hoc animal, erecto animo, & vera virtute; utramque despiciens, & discutiens: sanè *Justus*, multis nominibus, animantium rex; idq; Naturâ, Merito, Iure, Consensu. *Propera*] Celeritate utendum, ad præveniendum aliorum conatus, innuit. Et an non factum; cum posthabitis omnibus, regnum vocatus sine morâ adiit? *Seu genus Hectoreo, seu sanguine clarus Achilleo*] hoc ad claritatem, fortitudinem, generositatem, etiam ad jus pertinet. Si quidè

à Tro-

à Trojanis oriundos incolas,& Londinum Novam Trojam dictam,verum est. Est enim & IACOBO regi,ut à priscis Britonibus oriundo,communis origo; ut & à Francis, qui ad Francionem genus suum referunt, adeoq; ad Hectorem: qui an non Trojæ hæres? sicut & Achilles jure belli Dominus, ut victor; Græcus; Græcorum fortissimus; à quibus nostri suum *Gathelum*: unde *Pergustus*, unde, *Jacobus*. *Fata*] Vatum prædicta; sive prophetarum interpretere; satis nota: (fortè & nimis)sive poetarum,quotquot illum ab incunabulis cecinerunt, haud ambigua. *Marmor*] quod docet additum epithetum (nobile) nobis semper; nunc (puto) & omnibus gentibus. de quo vulgatum illud, sive scriptum sive inscriptum, antiqui numeri carmen, à me puero apud *Johannem Majorem* lectum, & memoriæ mandatum.

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem,

Scotorum olim regibus inaugurandis destinatum: donec ab Edvardo primo Londinum translatum, coronato Iacobo nunc rege, diu irrisam hanc vocem, haud irritam fuisse res ostendit. *Spes & mentis præsagia*] Te appello IACOBE, an hæc non ita sint; & hanc spem quantus,ac quandiu alueris? *O si vicinis addens se è monticulis.*] Quartum & ultimum hoc futurum remedium malorum, etiam recidivorum; si coalescant hæ in unum gentes, positis odiis & impedimentis quibuscunque:quod & gregi salutare,& pastori magnificum;& ad quævis maxima aggredienda, propagandis quàm longissimè extra insulam imperii finibus, infinitè aptum instrumentum. ad quod vota extenduntur: & inde futura fœlicitas jam nunc præcipitur, ac prædicatur. *Monticulis*] Insulæ pars montosâ; Scotia. *Grex*] ista natio. *Caulam*] regnum. *Avitam curam*] quis hoc tam iniquus iis neget? & prorsus hebetes putet gestare pectora? Non tam aversus equos (ut ait ille *nostro Sol jungit ab orbe*, ut non & genuerit olim, & nunc gignat haud spernenda in quoscunque usus ingenia:*Fortis*] hoc nec ipsa invidia detraxerit. *DAPHNI*] Sic signatum à maximo poetâ maximum imperatorem aiunt. cuem imitari, & idem ominari fas esto. Nec tamen prorsus inani voce, quæ à lauro non aliena & Phœbum, & Martem, Poeticam & victoriam, pacis & belli artes, aut pacis & belli artibus præstantem innuat. *Grex jam, Daphni, tuus*] i. populus illi subditus; Britannus,(vel quocunque nomine conveniat, appellandus) foris longè, latè florebit; domi omnibus bonis abundabit, ejus ductu, his adminiculis, quæ uniti hi populi communibus animis, viribus, communi consilio administrabunt. *Oaxem, Tiberim*] i ubivis locorum. Sunt autem fluvii, ille in Creta. hic notus in Italiâ. *Mulctra, lac, culmus, æstati*] i. quæcunque bona suo tempore. *Ceres, Tellus, Lilia, Rosæ arrident tibi*, nempe Daphnidî. *Rura, fistulæ, chordæ, feræ, volucres, meditantur, laudant*: quid aliud quàm Prosopopœia? quod an non licet? & an non satis? nec sic fuerit obscurum quicquam, nec inane, quàm simplicissimè accipientibus. Tamen si quis per *Lilia*, intelligere hîc velit insignia illa Franciæ: si per rosas *Angliæ symbolum*, haud valdè à scopo aberraverit, & mente scribentis; qui & illud præstare, & huc alludere non ineptum putavit. *Rident* autem, sive quòd ea jam sua vendicat DAPHNIS: sive quòd qui iis utitur benevolentiam suam missis Legatis te-

ſtatus ſit. *Primo vere*] ſive anni, ſive regni. *Placentq; ſibi ſic*] nempe quòd ſtudium ſuum ſic oſtentent, ſapere ſe putant; & è re ſuâ eſſe. *Præcocia*] i. præpropera, omnia antevertendo. Et flores quidem illi non primo vere, ſed adulta æſtate, ſaltem in his regionibus, ridere ſolent *Nix, purpura*] Roſa utraque, alba & rubra, ut vocant, Lancaſtriæ & Eboracenſis familiæ ſymbola. *Fiſtula, chordæ*] ruſticæ, urbanæ Muſæ. *Faſcine abi, &c.*] amotis omnibus malis, omnia bona florebunt. Domi rerum abundantia, re pecuariâ (in voce *Pan, Pales*) pace certâ, & undique fidâ; omni hominum generi (in *Cervus, volucres*) ab inſidiis & vi (*tela, retia*) quocunque hoſte; externo, domeſtico (*vulturio, Aquilæ.*] Adeò ut metus ipſi Romæ tam formidabili, & ſemper minaci ultrò inferatur. *Faſcine*] Sic liceat, Lector, tuâ bonâ veniâ, quaſi perſona aliqua priſcorum Deorum, quales ſibi finxerunt veteres uſque ad Pallorem, & Pavorem, quod, cum primo ſcriptum ſic eſſet, mutavit Typographus in (*Faſcinum*) tanquam uſitatius, errorem illud ratus; ut in primâ editione videre eſt. Quod mihi tamen deditâ operâ cùm factum eſſet, quanquam (fatear) nullo tunc exemplo, poſteà contigit eandem vocem apud Julium Scaligerum invenire: idque ſemel, atque iterum in quartâ Eclogarum, quas Nymphas indigenas, inſcripſit; & Poetices libro ſexto, qui Hypercriticus; in Calpurnio: virum ſanè ſummum, & cujus auctoritate apud doctos, quid non audeas? Faſcinare autem putantur lingua, pes, oculus, cor: hæc averruncantur: Etiam Invidia & Metus. *Daphnis oves qua paſcit*] i. à totâ inſulâ, vel regno potiùs, ubicunque id jam ſit, vel fore contigerit, tam ab ipſo, quàm ſuo populo. *Pan, pales*] Satis de his ſuprà, ut & ſimpliciter & perſpicuè omnia vitæ commoda complexis. Sin & alia ſcire expetis, quæ ſpectata ſunt; in mentem revoca, quis verus paſtor, quæ vera paſcua ſunt; quem verum & magnum Pana agnovit, & confeſſa eſt, cedens jam ſuo regno gentium idololatra ſuperſtitio, cùm ait, *Pan magnus mortuus eſt.* Saltem quem nos ſeriò animarum Paſtorem agnoſcimus. Cujus quàm læta, quam lata ſub JACOBO Rege paſcua ſperamus! in quantam expectationem erigitur terrarum orbis! & ob hoc ipſum à DEO datum; & in hoc faſtigium erectum putat. *Sæcula aurea*] Non quæ ſic ridentur; quia iis ſolùm aurum in pretio eſt: ſed quibus virtus aurea, pura, puta eluceſcit; quum paſſim proveniens; tum ſuo i. maximo honoro quoque in loco: ſecum famulantia illa bona, copiæ, pacis, lætitiæ & ſimilium vnâ adferens: diu expectata; aut nec expectata quidem; tamen nunc demùm revoluta. *Cervus*] i. maximè longævus quiſque: adeoque ipſa ſenecta, ſemper querela, & præſentium faſtidiens: de qua rectè Poeta, *Laudator temporis acti. Pabula, quæ carpſerat hinnulus*] i. fœlicia illa tempora, & rerum omnium abundantia, quæ vidiſſe ſe Juvenem jactitare ſolet. Quòd ſi PANA illum magnum meminimus, facile eſt, quæ ipſius hîc pabula intelligantur, perſpicere: primævis illis temporibus vera, ſincera, ſalubria. *Ora Dictamno vacuus*] i. prorſus ſecurus ab omni metu; & hîc, aperta vi, & occultis inſidiis illic (*latitantia retia*) De *Dictamni* autem vi, & natura excutiendis telis, ejuſque uſu etiam feris noto (ut ait maximus ille poeta:

———*Non illa feris incognita capris,*
Si quando in tergo volucres hæſêre ſagittæ.) Non ego admonitione egere pu-

taviſſem, niſi vidiſſem & hic hærere nonnullos; & vellem omnibus conſulere. *Cornix*] Et vivax, & vates; antiquitatem evolvens hæc prædicat, & præfert tempora: & omine ſtabilit. *Dextra*] nempe ſic fauſta in auſpiciis. nam ſiniſtra, duriora ominatur, *Virgilius.*

Sæpè ſiniſtra cava prædixit ab ilice Cornix.

Vulturio, atque Aquilæ, intactæ volucres] Id eſt, ulli rapaci generi. Quis autem vulturii nomine præcipuè deſignetur; quis eodem nomine, ejus grex raſulus, lippis, & tonſoribus notum: Quis item Aquilæ inſignibus maxime inſignis. *Sub tegmine cœlo*] Nempè æque intectæ, ac intactæ; nec tutelæ indigæ, propter ſæculi innocentiam. *Gallus charus Phœbo*] id eſt, *Solis* avis; lucis amans; quiſquis veram lucem & verum *Solem* ſectatur. *Tibi ſed cedens* LEO] *Leo* etiam ut *Gallus*, *Solis* animal perhibetur; ſed naturæ, ut volunt dignitate *gallo* inferior; cujus vocem unam penè rerum timere, ac revereri creditur. Ei nunc *Gallus*, accepti tanti beneficii, præſtitâ hac pullis ſecuritate, memor; cedens inducitur ſuo jure; & priore apud communem Dominum loco: quo nomine gratus dicitur, & canere clara omina; illa nempè quæ ſequuntur, de metu Pontifici Romano inferendo. *Sub lucem*] Notum Gallicinium, & galli natura: quod huc tranſlatum; à naturali ad religionis lucem. quæ licet plena jamdudum effulſit, tamen ſummi regis auſpiciis tanto futuro incremento, quaſi novum initium, ſumpturam ominamur, & precamur. *Tarpeius Flamen*] Sacerdos Romanus. *Fremebunda tonitrua*] Excommunicationis illius, bruta illa, & inania fulmina; quibus excordes reges, & ſuperſtitione imbutos terret. Ipſe noſtrum ultro, *nec fruſtra metuit*] Metuiſſe enim ferunt, ſimul ac Anglia potitum audierit: & metum teſtatum ſuo more; luſtratâ urbe; juſtitio edicto; votis factis, & ſupplicationibus publicis. Haud fruſtrà fore auguramur. Et ſit præſaga mali ſui, mala mens. Amen.

Ecloga ſecunda, cui nomen ALPHESIBÆVS.

Argumentum.

Alphesiboeus; non ut vulgò interpretamur, παρα το αλφειν τὸν βυν, quaſi inveniens boves; ſed æquè probabili etymologiâ, ex αλφα, & σεβεια vel δυσεβεια, quaſi cultum aut cultorem primi innuas; vel cultu & pietate primum. Et ne diſcrepent cætera, (poſtquam intemeratam publicam lętitiâ in IACOBI regis adventu, cedente etiam ſuo luctu Amaryllide, cecinerit) hoc totâ Ecloga agitur, ut PIETATEM inculcet propagandam, ſublatis imperiorum monſtris, & illo Turcico, & hoc Romano. Itaque ad id viam innuit; (non ut conſilium importunè ingereret, ſed ſi fortè olitor in opportuna incidat) adminicula exterorum regum, & populorum, (quis enim per ſe ſuffecerit?) qui magis idonei, aut minùs alieni ſint. Qualis Gallus LEONI noſtro, fœdere junctus; multis modis utilis; æquitatu inprimis pollens: Naturâ antiquæ ſimplicitatis, verax, apertus, & planè cui fidas. Qualis Haliæetus, Aquilarum princeps, ſi quando Solem iuſtitiæ, & veræ religionis lucem Aquilinis oculis intueri ſuſtineat. Tùm reliqui Germaniæ principes; inferiores quidem illi; ſed quorum alis, & tollitur Haliæetus, & nititur; quique Leoni, eaſdem illas ſuas alas conferre non minùs poſſunt; & vel ipſum in eum locum, imperii nempe faſtigium erigere. Itaque illud,

Dum patrię ingentem priſca virtute LEONEM,

Et ad Scotiæ regis inſignia, tanquam typum aliquem referendum eſt: & præcipuè ad verum illum verè ingentem tribus IEHVDÆ; verè victorem, omnia domantem, victrici lauro ſemper inſignitum, & inſigniendum: quem NEMO IMPVNE LACESSAT: cui cedant omnia: SOL, LUNA SERVIAT: & verè, *Submiſſi lambant veſtigia Reges.*

PATRIA; autem illa eſt; quò aſpiramus omnes: & PRISCA VIRTVS, quæ antiquiſsima, inde fluit, illò ducit, dirigitur. Et quid IACOBO noſtro; quid nulli genti magis honorificum accidit inquam, quàm hujus hunc typum gerere; inſigniorum omnium ſine controverſia nobiliſsimum? ut animal præcipuum, ſuo in colore, ſtatu optimo; cui addi nihil debet; nec ſine ipſius diminutione poteſt: (tantum abeſt ut ille aliis tanquam acceſsio quædam ſit) Ideoque nec ſui quicquam tam amans eſſe, (non, ſi vel ipſe Narciſſus ſit) ut non ſponte cedat; omni æmulatione, ac tergiverſatione depoſitâ; ſive id fortè uſurpatum, ſive fato, quaſi in omen datum à primâ gentis origine. Quid te, inquam, magis adhuc nobilitet, ut regnis regna cumules, IACOBE, quam ſi iiſdem veſtigiis inſiſtens, eundem animo imprimas, exprimas: inferas terrarum orbi hu-

huc te, tua impendas? Quin &, (si in nnum, DEI unquam indulgentiâ, coalescant, quod faxit, hæ gentes:) quod illi uniti imperii insigne tam nobile excogitent? quod potiùs asciscant? non quia Scotorum olim fuerat, (inane id futurum foret certamen) sed quia honoratissimum semper fuit: vel eo saltem, nec hiscente invidiâ; quod veri illius typus sit; quo oculos, & animos intendimus: unde omnia speremus: Maximum, Nobilissimum, Florentissimum, ac verè Imperium? Quid tam nos deceat; quid tantâ delectatione animos titillet; quàm hoc symbolo illius famulos nos ferre? volenti, nolenti orbi inferre? Vnde etiam, si & dictum tantis insignibus par quærendum est, (ut & hoc bonorum omnium veniâ dicam) occurrit illud magnificum, SOLO IEHVDAE MINOR. hoc etiam pium IEHUDAE SERVIENS, CAETERA IMPERANS. aut quid simile. at illud, CEDITE; fortè ut omnia excutias, Breve, Acutum, Magnum, Plenum, Pium: ut quo omnes monemur, LEONI illi JEHUDAE cedere: cætera, etiam illius Typo, illud agenti. Quo animo, quibus auspiciis quid tibi magne LEO, non cesserit? quis tuus id non agat, ut cedant omnia? Et quæ quæso terra erit, quæ resistere tibi velit; ac possit? tantum erigere: & DEI hanc, hanc tuam causam age; *Cedent continuò cætera*; etiam *prosperè*. In hanc itaque spem optantur æqua tantæ materiæ dicendæ ingenia: Subjungiturque adhortatio, ad audiendas tenues pastorum interea musas; qui pacatos limites, & montana; licèt inconditè, optimo tamen studio canunt.

ECLOGA II.

HAEc Philomela canebat; & hæc responderat Echo:
Excipiens, calamis quando insit & Alphesibæus.

Exere læta caput roseo lux aurea vultu;	*Tu*
Discute tristitiam terris. Non conjuge turtur	*Turtur-*
Iam gemat amisso: non pectus plangere Progne	*ne*
Audeat. Vt læti venientis nuncia veris	*eris?*
Fausta canit, gratâque audit magè grata sorore.	*ore*
Ipsa tuis cedis iustis Amaryllis: & alto	*alto*
Ipsa vetas luctus cœlo: votisque potita,	*ita*
Indulges choreis: & successore superbis,	*is,*
(Seu dotes numerans, seu vatum orâcla recordans)	*dans*
Magnanimo; sedémque tuam, terramq; Britannam	ANNAM
Regnari; & toti longè celebrarier orbi.	*orbi:*
Eq; tuá, nec jam sterili Phœnice, fauillá	*Illa*
Lucem exoriri, quæ semper maxima; semper	*per*

Læta ſuis veniat; terraſq́, & flumina latè te
Impleat; immenſoq́ ſalubre affulgeat orbi: orbi
Atque orbis cunctos obſcuret lumine ſoles. Soles.
Quæ te celſa manet ſublimi gloria cultu Tu
Daphni, decus rerum? Cœli cui vertice ſummo mo-
Aligerûmq́ acies, aſtrorum & militat ordo: do
Dum patriæ ingentem priſcâ virtute LEONEM LEONEM
Indomitis infers populis, atque omnia ſoli SOLY-
Obſequium præſtare doces animalia, morum MORVM
Neſcia adhuc; ſubigiſq́ ſequi victricia ſigna: ſignâ
Signa triumphali ſemper circundata lauro. auro;
Aſpice, ut aſſurgat generoſum pectus: & ora ora;
Quantus hiet; vibretq́ oculos ferus; omnia donec nec
Edomuit: Treme gens. Haud terra impune laceſſes. ceſſes.
Ipſe illi cedat liquida Narciſſus in vnda, Da
Quamvis ſe miretur amans: Floreſq́, feræſq́ req́
Quotq́ ſolo volucres, & quot fulgentia cœlis cœlis
Signa micant. Servit luna; & flammantia Solis ſolis
Sidera. Dant faſtis poſito diademata laudem: laudem
Submiſsiq́ pedum lambunt veſtigia reges. reges,
Hos vrbes, populoſq́, ſolumq́, ſalumq́ regentes gentes
Iunge memor pactis, & firma in fœdera coge. coge:
Primus ades: primumq́ hæc cura exerceat acris, CHRIS-
Tollere ſublimem chriſtas, cantumq́, renatum TVM
At ſolem (O ſemper Stigijs iuuiſe tenebris è tenebris
Galle) tuũ: pactumq́ antiquũ, animoſq́ recordans, dans
Iunge manus: iunge & turmas. Nec deſpice veram veram
Mitis amicitiam, LEO. Quin & ſuſpice lucem lucem.
Acri oculo; volucrum Rex ſic jnvicte Haliæete, Ea te
Si neque te Phœbus, caſſo neque lumine luna una
Degenerem arguerit. Voſq́ O, genus acre, minores res
Haud adeo, quot alit curâ Germania dignâ digna:

Vulturio

Vulturio infensas Aquilas; sociate labores,
Et curas sociate; aliſq́ attollite, ne quâ
Occurrant prærupta iugis; terræve, marísve
Immensi tardent tractus. Ergo impia, mære
Tarpeias arceſq́, lupoſq́, à mœnibus exul
Roma tuis rursus; rursus quæ maxima vertet
Fergusides, genus Herculeum; Cacumq́ tremẽtem
Ausonia, atque iterum monstrum mirabere Tellus
Tota triceps vinctum. Mox & Mæotica regna
Fatalem agnoscunt, trepidantq́, Ceraunia supra
Hircanoſq́ feros; Schythici ditio ultima quantum
Porrigitur Selymi. Seræ (viden) ille senectæ
Imperij, (meritoq́) timet servilia lora.
Quis canat æratas acies, & robora Martis,
Captivoſq́ duces, injectaq́ vincula collo
*Euphratiq́, Indoq́? O, viveret * Agrius! aut tu*
** Mellee, sume tubas, magnumq́ inferre per orbem,*
Incipe Fergusidum deductam ab origine gentem.
Incipe; ne quis sit tantorum è sanguine Regum,
Regem quem plus Phœbus amet. Sic dextera Clio,
Sic facilis Daphnis: Quate totũ Helicôna triũphis,
Parnassumq́ cie victor, cui cuncta silebunt
Et Macedum pugnas; & Romæ ingentia bella,
Pergamaq́, atque ipsis cantatam Æneida Musis.
Intereà tenui iuvet indulgere Camœnæ
Daphni, tibi quã ver iuvenum, quã bruma senectæ
Sacrat. Vt hinc Zeviota, vt lætis Grampius illinc
Saltibus applaudunt: resonat Caledonia, sola
Per juga, & umbriferum gestit nutare cacumen.
Hic te dum Lycidas, hic te dum Tityrus audet
Incomptis cantare modis, sed culmina, sed qui
Pacatos dicant colles, insuetáque leges

res,
quâ
ve-
re
exul-
tet
mentem
Tellus
regna
supra.
Tum
necte
lora
Martis
collo;
Tu,
per orbẽ
egentem
regum.
Io
triũphas
Silebũt
bella
Musis.
Amœnæ
senectæ
hinc
sola-
men,
et
qui-
es;

* Poëtarum Princeps.
* Proximus à Principe.

Arva pati, latera Oceani ſuper vtraque; poſtquàm
Multa gemunt [1] Gramiq; ; & multùm vincula nexi
[2] Gregoridæ, fera gens nuper: Cædéſque piatæ
[3] Chaoniæ. Tremit & [4] Leogus; tremit [5] Abria, mater
Moréſque immaneſque animos deponit Ierna.
Vtq; roſas inter ſurgat tibi Carduus, ipſum
Provocet, & Narciſſum: hoc tota Britãnia; tota hoc
Gallia conſpiciat; latè fremat orbis; & unum
Fama canat: celebrétque in ſæcula ſera propago.

quàm excipiat æterna.
Ipſum hoc unum ago.

1. *Nomen gentile.* The Grahames.
2. *Ité gens alia vulgo,* Makgregores
3. *Gens cæſa a Gregoridis vulgo,* Cahouns.
4. *Inſula vulgo* The Lewes.
5. *Prouincia vulgo.* Loghaber.

Admonitio, de Echo.

SEd nec hic Echo, ut vides, ſilere voluit; quin PIETATEM accineret, aut adſtreperet, balba. Eam priore quidē editione diſſimulavimus; partim quod in præcedente Ecloga malè acceptā audieram; partim ne politicis, ut plurimùm exploſam rem, deridendam proponeremus. Nunc cùm ſuccurrit, tanti regis patrocinio tutam fore; profiteri ſe auſa eſt. Sic itaque canentem audire licet.

Et primò pietatem CONIUGALEM, ut præcedentibus conjunctam, ejuſque fœlicitatem; hoc modo:

Tu Turturne eris? ove olto ita is dans ANNAM orbi; illa per te, orbi Soles.

Tum eam, quæ ſic propriè dicitur; ERGA DEUM, eamque externo cultu ſe profeſſam;

Tu modo LEONEM SOLYMORVM ſigna auro:

Interno affectu, veram & aſſiduam,

Orā, nec ceſſes:

Orbi in commune utilem, & efficacem.

Daréque cælus ſolis laudem, reges, gentes cogé, CHRISTVM è tenebris dans veram lucem.

Ejus dignitatem, & uſum;

Ea te una res digna: res, quā verè exultet mentem tellus, regna ſupra.

Hinc parta PACE PVBLICA, verum triumphum.

Tum nectle lora Martis collo, tu per orbem egentem regum. IO, TRIVMPHAS. Silebunt bella Muſis.

PACE PRIVATA,

Amœnæ ſenectæ hinc ſolamen, & quies.

PACE VERA, ET ÆTERNA.

Quam excipiat æterna.

Demum pro ipſo Sereniſs. Rege, ſpondere auſa, ſic concludit.

Ipſum hoc unum ago.

Cæterùm

Cæterùm pauca mihi deprecandus es, Lector, vel admonendus, de quantitate in nonnullis syllabis. Eæ sunt primo, in *lucem exoriri*, ubi nothus quidem pes ut Iambus: at maximis Poetis non admissus solùm, sed & advocatus; haud aliâ ratione. Et potuit facilè sic mutari, *Lucem hanc exortam*. Vel, *sic lucem exortam*, aut tale aliquid comminisci: verùm hoc non tolerabile solùm, sed æquis auribus, puto, gratius. Altera est, secunda in *Caledoniæ*, hic correptâ; *Buchanano* & aliis producta, suffragante *Ptolemæo*; qui per (ν) Græcam scribit. Verùm (præterquã quod in hæc quæ aliundè in Latinam civitatem venêre, haud anxiè inquiri solet; sed suum cuique arbitrium relinqui) adeò in origine correpta hæc syllaba est, ut nec syllaba videatur. Nec enim *Caledon* vulgò dicimus, nec sanè *Caledon*, sed *Caldon*, aut *Calden*, dissyllabum, aut fortè monosyllabum *Caldn*. Itaque & eadem illius quantitas in tertia Ecloga servata est, *Perq; tuos Caledon, &c*, cùm facilius fuisset & simpliciùs absque Apostrophe, *Perq; Caledoniæ*. Simili ratione, *Buchananum*, secundâ correptâ diximus alibi, *Respice Buchanan, &c*. eandem etymologiam secuti: quòd si necesse non semper est, tamen semper fas est. Etiam *Echo* culpari dicitur, quod non ubique accuratè respondeat: sed labatur interdum, balba, (a) pro (e) reddens, aut pro tenui aspiratam, & similia. Atid, fatear, tantum abest ut fugerim, etiam decorum putavi. & si non quæsivi, tamen offerens se avidè amplexus sum. Et cur quæso nimis doctam induceremus rusticam hanc Nympham? cur ore promptam, sermonis tam parcam? Et erat alicubi fortè difficilius, illud facilè fuerat mutare: *Vbi ad triumphis*] *triumphas* respondet: ut pro *Io triumphas*] *Io triumpha*, substituas, hoc modo:

——— *Quatiens Helicona triumphâ*

Materia ingenti victor, &c. & si qua alia sunt huiusmodi. Quæ agnosce, Lector, candidus: aut ignosce, facilis.

Ecloga tertia, cui nomen MOERIS, sive Officium.

Argumentum.

HAc tertia demùm Ecloga ratio redditur cur aula procul in ipsa penè solitudine Regem cecinerit, cur functam simul Reginam. Tum solum Regem canere incipit variè, sub variis nominibus. Et primò Lycidas laudum tentamenta leuiter, & quasi in transcursu delibat, fœlicem sub illo sæculi tranquilitatem, ipsius summum ingenium, ac eruditionem ad poëtica etiam assurgentem, canentibus hoc musis, illud vate Apolline: qui cantum tamen suum in aliud tempus differens, Mœrin ad canendum hortatur. Is ipsum Apollinem jam factum canit; id est literatorum præcipuum, præsidem, patronum: respectu cujus, suum eruditioni honorem haberi, sperari: scatere ubique poëtarum choros. Inter quos & *Celiovedum* obscurum pastorem, ac ignotum, tamen ad vetera carmina repetenda, & nova excogitanda suscitatum: quibus, Regem marium, terrarum, rerum deniq; dominum portendi aut cecinerit olim, aut nunc canat. Hinc generosissima Leonis insignia quasi omen polo data; quibus cætera cedere deceat: quippe quæ illum minuant, non augeant: Hinc flumina, tractus montes, suo quæque modo, famulantia. Supra quæ tamen ille, ne imperii quidem dulcedine ultra quàm par est inescatus, ad longè majora, & illo unam dignam curam, cælestes nempè cogitationes assurgat; animo verè divino. Quod tantum abest, ut illi dignitatem minuat aut impediat, quod vulgò jactitat impietas, ut etiam contra authoritatem augeat; & solidam pariat, ac veram gloriam, supra quotquot sunt ubicunque terrarum Reges. Externorum etiam populorum, expectationem, benevolentiam ac desiderium excitaverit: suorum verò amorem penitùs inflammaverit: præcipuè suæ Scotiæ; cujus affectus sub *Phyllidis* persona describuntur; in futura tandem populorum amicitiâ, aut unione acquiescentis. Demùm quanquam ipse semper hactenùs inutilis, & nunc effœtus fortè esset: tamen eam Regis efficaciam, ut ad se quoque excitandum valuerit: ad quæcunque seu otii, seu negotii munera ipsius ductu, ac imperio obeunda. Postremò brevem excusationem hujus tantæ audaciæ, ac prolixitatis suos fines, & Eclogæ fortè modum supragressæ attexens; & quasi receptum canens, ex occasione oberrantis capri ad privata sua munia redit, Musis valere jussis. Cui Lycidas, exoptans Daphnidis approbationem, ostendensque ex ea famam habiturum, ut omnia omnium poëmata: sole jam declivi vale-dicit.

Sunt autem hic *Rex*, & *Saxa* virorum propria, & si nostra lingua vertas, satis nota; qui Serenissimum Regem nuper canentes & se, & illum honorarunt. *Celiovedus*, minimus, & ignotus quisque, ut & ipse auctor, qui idem & Mœris.

illa

illa voce inutilitatem innuente(ex *Celi* & *Oved* Hebræa compositione, quasi vas perditum, aut fractum dicas:) hac ob hoc ipsum mæstitiam, Latina etymologiâ. Cujus utriusque ratio tacitè innuitur; Et (Mœris) illic *Sic lumina fletu liberet, & multum mœstum soletur:* &c. & (Celiovidus hic) *sic pecori venias aliquando atque utilis arvo:* hujus verò, etiam apertè describitur tota ætymologiæ ratio verbis illis, *Ille ego nullos, invenit cui quisquã usus:* & quæ sequuntur. *Phyllis* ut diximus, Scotia est: *Amaryllus*, primum Angliæ Regina; postea regnum. *Pindarus*, vel *Pendarus*, mons ad Hadinam, quo pascentium ovium dentes inaurari dicuntur, vulgò *Dumpendar Law*. *Lamyrii* montes sunt in provincia Marciæ, ubi villula scribentis *Theager*, *vulgò Godf-croft*. *Ocelli* montes in Iernia forthæ imminentes ad quorum radices est *Val-aquila*, vulgò *Glen-eglis*, ipsius nunc habitaculum. *Bodotria* nunc fortha: *Tetha* fluvius in fortham influens: uterque gemmarum ferax. *Nessus* item in Septentrione ex lacu ejusdem nominis nunquam congelatur Authore Boethio. Cætera per se facilè perspiciet lector.

Lycidas, Moeris.

Lyc. *MOEri quid incassum sterili sic lentus avena*
Nescio quæ surdis modularis carmina saxis?
Et frustrà scopulos, & frustrà sola fatigas
Culmina? nec piget indoctas disperdere ad aures,
Quæ legat aut Tamesis, vel quæ legat altus Apollo?
Sive canas totis ploratam Amaryllida sylvis;
Sive bonum Daphnim priscis pastoribus æques,
Formosum Daphnim: læti quo nomine cæli
Rident; & facilis fundit mella aurea Tellus.
Mœ. *Scilicet hoc Lycida, curæ est: ne stridulus anser*
Obstrepitem Cycnis, pulchro quos plurimus amni
Fert Tamesis; dulci mulcentes nectare ripas.
Magnus & an Daphnis, an carmina curat Apollo?
Aut vacat ad nugas? Atqui hic quoque Daphnide sylvæ
Exultant; quatiuntq; intonsi culmina montes:
Hic me vesano Daphnis quando vrat amore,
Nec sylvæ sileant; nec sistant culmina montes.
Ly. *Verum an sic Amaryllis? an hæc quoque pascua pastor*
(Quamvis magna suis, quamvis formosa feratur)

Aut meminit moriens? aut viderat ulla superstes?
Mœ. *Immo sic Amaryllis: & hæc quoque culmina pastor*
Tum meminit moriens, tum fovit multa superstes:
Illa pedum nostro servavit Daphnidi & illum
Laudavit moriens. Daphnim mihi quisquis amavit;
Et vivat moriens, & vincat vota superstes.
Ly. *Audieram. Et certe cantari dignus uterque*
Nympha, puérque fuit. Cantarunt Arcades illum:
Ille tibi, Melibæe tibi hæc cantata, Menalca, est;
Tu quoque si tantis dicta aut indicta poetis
Accinis: en gaudet jam carmine Daphnis-apollo:
Et vacat ad Musas, & amat: sempérque vacabit,
Semper amabit: erúntque illic cura altera Musæ.
Accine: Non frustrà cantaveris. Aspice, sylva
Annuit ut Zephiro; & ramis siluêre volucres.
Mœ. *At tibi Pan calamos dedit: atque inflare cicutas*
Calliope: multúsque implevit pectus Apollo:
Solo digna canas qui Daphnide carmina, solus
Incipe: & ingentem cantu fer ad æthera Daphnin.
Ly. *An quæ Pierides sacris cecinêre sub antris?*
Vidimus; & calamos ipsum admovisse labello
LE PANTO. *Non piguit. Cessit Pan; & juratus Apollo:*
Submisitque lyram: stupuit Thetis; altáque Nerei
Flumina, ad extremam Ponti de littore Thulen.
An quibus est Clarius dignatus carmina Parcas;
Aurea versatis dum nent hæc sæcula fusis?
Pascite oves pueri; totis & saltibus hedos
Credite: Iam nullis errans lupus horret in agris:
Iam nulli inter se concurrunt frontibus hirci:
Nec fera vicini meditantur prælia tauri.
Verum ego mox forsan quæ iusserit ipse, retexam.
Nunc tu (nam meminisse potes) cane cætera Mœri.

Sic

Sic tibi deliciæ Daphnis: sic lumina fletu
Liberet, & mœstum multum soletur amicum:
Sic pecori venias aliquando, aut vtilis arvo:
Incipe; currentes deducet Thymbrius amnes.
Mœ. *Forsitan hæc, quæ te nuper dictante canebam,*
Magne puer, tu das unus te carmina digna,
Postquam jam tripodas Phœbus, lauróque resignat
Ante pedes tibi, Daphni; caput Parnassus, & altè
Attollunt Musæ: Iam sunt sua præmia Musis.
Lac Melibæus, & hæc mulctralia, Tityrus agnum;
Ocnus agrum tulit: haud frustrà tot, docte Menalca,
Carmina fusa tibi: Latè nemus omne resultat
Lætitia: nunc vpilio, nunc ipse bubulcus
Per juga Lamyrij, vel per juga montis Ocelli;
Perque tuos, Caledon, densos corylosque xubósque
Insonat: ingentes & consolatur amores.
Atque aliquis longo veniens de stemmate Regum,
Regem te, Rex ipse canit. Non Saxa silebunt,
Saxa vel Aonijs jam nunc certantia Musis,
Formosumque ipsum, formosam & dicere caulam.
Hic quoque te antra sonant: hic te Celiovedus antris
Inspirat, doctæ respondent omnia sylvæ.
Illum ad convalles; præruptáque saxa frutetis
Horrida; & inculto nigrantia culmina musco
Mulcentem montes, & conscia flumina vidi.
Et modò quæ puero quondam cantata canebat:
Et modò purpureum renovabat arundine carmen.
Quo tu magne puer cælo es? quo sydere natus?
An regnanda tibi dederant maria omnia Pisces?
An Taure indulsisti almos Telluris honores?
An postquam auricomus sublimi vertice Titan
Altius egit iter; Geminísque ad terga relictis

Aurea candenti ſubjecit lumina Cancro:
Cum ferus Æoleis Boreas occluditur antris:
Cum novus aſpirat lenito murmure ventus:
Tum potius medio te Sol altiſſimus orbe
Extulerit rebus dominum, ſupra æquora, ſupra
Æthera, & invictum cælo decus addidit alto?
Hinc omen dat & arma polo, LEO *Cedite* PARDI,
LILIAQ́, *&* LYRA: *nec magnum temerate* LEONEM.
Tum canit & gemmas properantem mittere Tetham;
Bodotriæque ſinus, & piſcoſa oſtia Glottæ;
Et ver perpetuum Neſſi, denſatáque nullis
Flumina frigoribus. Mox ut Craſordia venas
Spondeat auriferas: Tagus invidet; & ſtupet Indus.
Æmule, quid croceos agnorum Pindare dentes
Illinis? alliciens. Non curat talia Daphnis.
Daphnis in æthereos animo penetrare receſſus
Auſus, & immenſum pedibus ſubjecit Olympum.
Quid tibi par, divine puer, tua lumina cernunt?
Quid quod agas? quod ames? Non ille tui tibi fulgor,
Non tibi forma pedi mentem perſtrinxit inanem;
Æra pedi fulgentis, & internodia juſta,
Quamvis * *Ægle illud, quamvis inſaniat* * *Alcon;*
Quamvis miremur pueri. Peritura morantur
Terrenas animas: Te jam cæleſtis origo
Vendicat: & ſolis dignatur Iuppiter aſtris.
Nunc illum colere, & victis oſtendere terris,
Nunc illi curare greges, & condere caulas
Cura eſt: venariq́ lupos, vulpéſque latebris
Extrahere; & totis agitatas cædere ſylvis.
Quid fremis impietas; & ſpes moliris inanes?
Eſt aliquis terris cælum qui ſpiret; & unum
Suſpiret, dignâque aſſurgat pectora cura:

* Quivis vir vel mulier, Synecdoche. ſic infra.

Eſt, hoc cui ſapere eſt. Hæc illum gloria tollit
Paſtores ſupra reliquos: noménque, pedúmque,
Porrigit in longas, longè hæc trans paſcua terras.
Hinc illum parvíque greges, hinc magna magiſtrum
Depoſcunt armenta: & fortunata magiſtro
Se ſperant. Hinc conjugijs Nymphæque, Deæque,
Certant ſollicitare ſuis. Amarylli, relictâ
Pulchrior es quantum tu Phyllide: Deiopeia
Tam tibi ſe præfert; tam ſe Galatæa, capillis*
Auro criſpatis Indo. Quanti illa ſuperbit
Dives agri! Bacchúmque in dotem, atque addit Olivam,
Æmuláque Heſperidûm fragrantia cortice mala.
Quid facias? quidve his opponas perdita? amore
Si certes: non fuſca tibi, concedet amore
Phyllis: Et illa prior teneris exarſit in annis:
Et fovit gremio, & parvis dedit oſcula cunis.
Nunc illi timet abſenti; nunc pallet in illo;
Próque illo aſſiduè, voti rea, templa fatigat,
Suſpirans; & te crudelem, & dicit iniquam:
Párque referri optat demens. Atqui anne erit vnquam
Cum tua te rurſus vultu ſpectare verendo
Suſtineam Phyllis? roſeo cum nectar ab ore
Stillans læta legam; labríſque? O oſcula labris
Surripiam, & circum tenero dem brachia collo!
Aut hoc ſi nimium eſt, imis dem baſia plantis:
Et longè veneranſ retro veſtigia lambam.
An tibi ſim vilis, quòd ditior altera: vel quòd
Comptior? & primos fas ſpernere credis amores?
Ly. *Perge puer (viden?) occiduo tibi plurima clivo*
Lympha ſalit: Iam rura bibunt; præſepia vaccas
Accipiunt ſaturas. Quid reſpicis? Ipſa cavebit
Bucula ne veniens exhauriat vbera Circe.*

* Alia aliqua terra, putà Italia, Gallia, India.

* Quævis famula.

Ipſa premit palmis, & lac ſub tecta reportat:
Ipſa ſatis longè, paſcentes diſtinet hœdos:
Et ſi quid damnum dederit; præſtabit Amyntas
Intereà tu dic lachrymas, dic Phyllidis ignes:
Spéſque, metúſque omnes; & miſtis vota querelis.
Mœ. *Hic (Lycida) potuiſſe illam plus hiſcere credis?*
Defecit: vix Alcippe ſub tecta reduxit,
Et Beroe, ſimul occurrit dubitare, fidelis
An foret, an tanti ſecurus Daphnis amoris.
Nunc tenuis vitæ ſpes; poſtquam Doris; & vndas
Iuratus Nereus memorem teſtatur; & illam
Adſciſci in thalami partem; natóſque receptos
Communem in caulæ curam communis: ut id vult
Depoſitis ſatis æqua odijs Amaryllis: & vltro
Invitans ſponſi in cunctos conſpiret honores.
Hoc Tameſim petere; hoc Sabrinam; Humbrumq́, Camũq́,
Hoc uno fremere ore Britannidas, in mare quotquot
Deducunt liquidas non uno tramite lymphas.
Ante iterum frondes quàm ponat fraxinus: ante
Meſſor quàm ſegeti falces immiſerit: ipſum
Affore; ſiccantem lachrimas & lumina Daphnim
Forſitan: & magnos miſſuram Amaryllida natos.
O mihi ſi priſcus redeat ſub pectora Phœbus,
Qualis erat, cùm me bis ſeptima clauderet æſtas:
Iam primas poteram labris inflare cicutas:
Iam teneras audente manu contingere lauros:
Vel nunc vicinæ ſi jurgia Theſtylis olim
Obſtrepere; atque alienus agrum depaſcere taurus
Ceſſet, & in canis Cererem convellere culmis:
O vacet! & fidus, ſervet præſepia cuſtos!
Quo me, Daphni, vocas? Seu tu dignata cothurno
Carmina vis, victóſque hoſtes cantare; laceſſam

Antiquos

Antiquos cura vates, hircúmque merebor;
Carmina luce vigil, meditatus carmina ſomno.
Seu laudes, curáſque tuas, ſpectandáque facta:
Egredior ſylvis: totúmque Helicona fatigans,
Queram maſcula verba, ſonoſq; ingentibus aptos
Rebus; Quin ſi Phœbe faves, non degener æquem.
Quòd ſi animis, & adhuc opera eſt opus: En ego nullos
Invenit, cui quiſquam vſus: qui ſpretus inertes
Perdo horas, procul urbe, atque orbe, ad ſqualida Iernæ
Occellos propter montes, mentemque manúmque
Torpidus ante annos ſenio, caſſoq; labore:
Accingor tamen: & primus patria arma capeſſo,
Sat validus, ſat jam vegetus. Iuvat auſpice tanto
Aereas Alpes, & ninguida Caucaſa: vel te
Iſmare, vel Rhodope; vel qua Geta, quave Gelonus
Accolit, & celſi ſuperare cacumina Tauri;
Vel remis penetrare Indum: vel maxima Volgæ
Flumina: & armatum captas volitare per urbes.
Sin pacis tractare artes, & mollia mavis:
Non mihi Gnoſsius aut Rhadamantus, Gnoſsius aut mi,
Iuſtitia certet Minos, ſub Iudice Creta,
Sub Lycia. Aut ſi audere jubes, animóſque benignus
Sufficis: & dextram ſolio protendis ab alto:
(Non adeò exoſa hæc paſtorea pectora Pallas)
Conſilijs dicar non ultimus. Et mihi Daphnin,
Seu regere imperijs, ſeu circumducere mentes
Seu fraudem capere ante aſtu, atque illudere captæ,
Fas dare: Sufficiam priſca virtute per altum
Vela dare hoc pelagus. Quid mens circumſpicis artes
Te minor indecores? (Illas Hetruria jactet,
Degener aut Tyberis) Iungentur neſcia Iungi
Credita: Non pia me ſolertia; non pietas me

Deſtituet ſolers vſquam. Mirabitur orbis
Qua patet: & rectum repetet te vindice callem.
Sed me, neſcio quò tulit inſcius ardor: & omne
Excuſsit frænúmque, modúmque. Age; contrahe vela
Navita: & incerti cautus lege littora ponti.
Paſtores ſua rura decent. Iamque ecce caper, qui
Errat. At hoc noſtræ eſt, Muſæ decidite, curæ.
Ly. *Uive diu mihi Mæri: diu illi ſtridulus anſer,*
Sic ſtrepe; ſic placeas. Illi ſic ſtridulus anſer,
Si placeas: magno dignus das carmina Phœbo:
Ni placeant, ipſis rauceſcunt guttura Cycnis.
Forſitan atque ipſis ſordent ſua carmina Muſis.
Vive, ſat eſt. ſeros declinat Cynthius ignes.

Vt melius intelligantur quæ ſupra dicta ſunt de carminibus jam pridem compoſitis, haud erit fortaſſis ineptum, eorum nonnulla, quæ qualiacunque ſuperſunt, hic adjungere.

Et Genethliacum quidem Andræopoli adhuc puero inter Philoſophiæ ſtudia meditatum totum jam excidit: præter pauculos hos verſus, quibus nativitatis tempus deſcribi cæptũ eſt; huic Eclogæ ſupra inſerti, uno demptо verſu, & paucis vocibus mutatis. Ea ſic erant.

* * *Tempora* * * *

Quæ geminis tenuêre vagum fælicia ſolem.
At poſtquam auricomus ſublimi vertice Titan
Altius egit iter; Geminíſque ad terga relictis
Aurea candenti ſubjecit lumina Cancro:

Protenus

Protenus AEoleis Boreas occluditur antris:
Aſſurgúntque novo ſubmiſsi murmure venti.

* * * * *

Et huic quoque ſequenti, paucos poſt annos inchoato, nonnulla exciderunt: alia perfecta non ſunt.

ANglia lanigerúmque greges, armentáque dives,
Et ſuas jactet temulenta vites
Gallia; Campano certétque æquare falerno
Vaſconum ſi quærubet vua campis:
Lydius auriferas volvat Pactolus arenas;
Æmulis currat vagas Hermus vndis:
Arváque purpureis pulſet rutilantia glebis,
Qua vehit fulvum Tagus amnis aurum:
Ipſa ſuam Cererémque, & pingues Mæſia colles
Rura miretur, gravidáſque ariſtas:
Trinacris Hybla favo, lentis Methymna racemis,
Thure ſudato tumeant Sabæi:
Murice puniceo Tyrij, & Gangetica Tellus
Fulget Eois celebrata gemmis:
Fulmina Scipiadas belli, clarúmque Camillum
Cæſares, Brutos, Fabios, Catones:
Quique mare, & terras victor peragravit Eoas
AEmulus magni Macedûm tyranni,
Ingens in Peluſiaco qui littore truncus
Crimen ingrati ſoceri jacebat:
Hos inquam, atque alios jactet fœcunda nepotes
Roma terrarum, domitrixque ponti.
At tu quæ tantos latuiſti ignobilis annos
Scotia, indignis tenebris ſepulta;
Aſſere te in lucem, tam cunctis clarior oris,
Quas videt cæli patulo recurrens

Quas

Orbe sui Phœbus: quam pulchrior ille sorore:
Quam soror stellas superat minores.
Scilicet illæ, et opes, varia & miracula rerum
Rara naturæ bona blandientis;
Iustitiâ illustrem sobolem, vel fortibus armis,
Quam sibi priscis genuêre sæclis
Vt jactent: uno contra pugnabis alumno;
Quem tibi seris peperisti in annis.
Nam tibi si primo qui nunc IACOBVS in ævo,
Integer, vita maneat superstes,
Quódque dat, exæquet plenis maturior annis,
Indolis tantæ generosius omen:
Ipse feret, quæ sit gemma speciosior Inda,
Fortha, reflexis sinuosus vndis:
Et qui cæca rapit canis undantia Lymphis
Saxa, contorto violentus amni
Tetha, licèt properet sævo velocior Euro,
Et fremat raucum, strepitúque cautes
Pulset inaccessas, tamen haud mutare recuset
Saxa flammatis salebrosa gemmis.
Mella Caledoniæ sudabunt roscida quercus:
Thura manabunt tribulis: ruboque
Pendebit potior Campanis uva racemis:
Agna per valles ad amæna Tuedæ
Flumina, Sydonios pascetur amicta colores
Sponte, & haud ullo variata luto
Vellera certabit Minio superare Crocóque
Stamen externis saturatum in oris.
Alma Ceres sedem Argadijs, in montibus altis
Ponet; & flava steriles Myricas
Mutabit segete; ut non illos Gargara messes
Læta fœcundis superent aristis.

Mænala

Mænala Lenæus pater, & vivet a Timoli
Linquet, & sacri juga celsa montis:
Pampineásque tuos in colles transferet vuas:
Próque Pactoli nitidis arenis,
Auriferóque Hermo, Crasordia dives avaros
Incolas fulvo saturabit auro.

* * * *

Nonne vides ut nunc brumali frigore Nessus
Pertinax, duram glaciem recuset,
Eius ad exemplum * *
Spæa, Dovernus, Dea, mox & Esca
Vtraque. * * * *

E vulgari ipsius Sereniss. Regis De Hispanorum naufragio; An. 1588.

DIra DEVM contra coïère in fœdera gentes:
Diduxêre ad iter conjurata agmina: Mavors
Ipse ferus, vultúque horrendum, armísque fremebat.
Direxêre acies immensas ordine longo:
Nos terra hinc, atque hinc pelago cinxêre: minati
Iri excisum omnes, penitúsque à stirpe revulsum
Ampullis: verum quî res successerit, audi.
Continuò venti ruere, & jactare carinas;
Quassantes: tumidásque æquor se attollere in undas.
Fœlix, qui evasit ventíque, marísque furorem:
Maxima pars vasti est absorpta voragine ponti.
Et stupet hæc quisquam miracula? Nempe DEVS sic
Impia de summo ridet conamina Olympo.

Appendix.

IMpia si ridet dominus conamina: & idem
Arridet votis dexter, adestq; pijs:
Quid cæca Impietas fraudes, & crimina jactat?
Hoc tam desipere est, quàm sapere, esse Pium est.

Ad eundem Sereniss. R.

CVm diadema ornes Musis, diademate Musas:
Sceptrigerum superas, Aonidumq; choros.
Te quoq; cum pietatem addis sceptrisq;, camænisq;:
Quam pietas sceptro maior, & ingenio est.
Sic age: sic veram accumula laudémque, decusq;,
Et cresce in titulos, Rex IACOBE, novos.
Sic sceptro, plectróque pijs, per tempora vitæ
Tu domini laudes; augeat ille tuas.
Cum saturo annorum, & laudum, sordescere Tellus
Cœperit; & vinctæ lurida claustra animæ:
Certius haud alias iter ad cælestia regna est;
Quæ superant votis sola trophæa tuis.
Hoc quoque, qui dedit ingenium, qui sceptra, piúmque
Hunc animum, hoc animo præmia digna dabit.

Ad Eundem: de eodem.

NOn te tot proavi reges longo ordine; non te
Missa à tot proavis sceptra, IACOBE, beant:
Non seges ingenij hæc, non hæc vberrima messis:
Qua tibi supra atavos, sceptráque surgit honos:
Illa beat PIETAS, tibi quæ sacra ora resolvit;
Ingenium auctori sceptra dicátque suo.

Has

Hac atavos ſupra, & mundi pereuntia regna:
Te Rex, & regnum perge beare tuum.
Quem regum agnoſcis regem; rerúmque potentem;
Quas terra, immenſo claudit & vnda ſinu:
Illi, te, tua crede DEO; terræq́, marísque
Deſpice ſecurus, Tartareáſque minas.
Pro te tellurem; pro te rabida æquora ponti:
Ætheráque armabit; flammigerumq́ polum.
Quid ſtruis incaſſum inſidias; atque arma minaris,
Cum conjurato Roma ſuperba Tago?
Hoc duce converſis metues Hiſpania fatis:
Purpureos planges hoc duce, Tybre, patres.
Non Scotus Gotho inferior; profugóve IACOBVS
Ferguſio; Non ſpes, caſſáque fata cadent.
O veniat labor hinc Muſis! In te area amori
Lata meo! laudi culmen, apexq́ tuæ.

Ad Eundem: Cum expeditionem in regni Septentrionalia pararet: rumórq; rurſus eſſet de adventante Hiſpanorum claſſe.

EIa, IACOBE, animum magnis virtutibus imple:
Et forti trepidos diſcute corde metus.
Quâ rerum incumbit moles, obnitere: & aude
Contra ferre tuo pectora plena Deo.
Argumentum ingens decoris, laudíſque futuræ
(Fallor?) an ille ſibi ſic ſtruit? ille tibi?
Quodque iterum magno ore canas: fruſtrata potentem
Cæpta hoſtem: vanis armáque ſumpta minis.

Nondum effæta manus Iehovæ, seu sternere puppes;
Seu ruere in structas fulmina tota acies.
Nec nos degeneres bello, qui vincula pacis
Possumus, & legum debita fræna pati.
Sentiet, hostis erit quicunque, haud arma timere,
Qui scelus; & celsum qui timuêre DEVM.

Ad Eundem: E vulgari Guilielmi Fulleri in eiusdem Sereniss. Regis prælium navale contra Turcas Ioanne Austriaco duce; quod Lepanto inscripsit.

Quæ satis ampla tua est, tanta ad præconia Tellus,
O Rex: O Regum Rex IACOBE, decus?
Qua cadit: an Phœbus radijs qua surgit Eois?
Quamve pari torquet frigore uterque polus?
Exigua est qua terra patet; non tota triumphis;
Non satis est meritis ferre trophæa tuis.
Magne triumphati regnator & orbis, & vrbis;
Gesta tibi, Cæsar, dictaque bella tace.
Cede toga, & telo; lauro Phœbique, Gradivique:
Gradivum, & Phœbum præripit ille tibi.
Ni spes, ni fallat nos mens: idem auctor & actor;
Quàm bene bella canit, tam bene bella geret:
Nec frustrà in Parthos fatalem: & Turcica regna
Credimus; in tuos, impia Roma, lupos.
Disce manus victus dare. Quid certaveris astra
Quàm Sol, tam laudes vicerit ille tuas.

Eclogæ

Ecloga quarta, cui nomen MOELIBÆUS, sive UNIO.

ARGUMENTUM.

Cùm unioni harum gentium fama esset obniti nonnullos, varia haud adeò magni momenti causantes, facturus non ingratiis virorum haud ἀμέσων videbar, si rem versibus luderem à susceptâ rusticâ personâ minimè discedēs; & innuens Eclogæ more, aliis, aut alias pertractandam. Conveniunt autem; Melibæus de bobus solicitus,& Menalcas fortis recta eloqui, qui ad Poeticam licèt despectam se suscitant. Tangunt autem quæ bona sint, quantum ad ea unio momentum;quid obstet; quàm non obstare debeat; quàm necessaria ad succidendas inimicitiarum radices, hostibus invidiosa, civibus fovenda cōmunicando res, affinitates jungendo;Deo perficienda, aspirante sincerū,& intemeratum amorem,suique cultum, & ita veram gloriam. Quod faxit.

MOELIBAEVS MENALCAS.

Mel. *MAgna Pales, an vivit adhuc, spiratq; Menalcas,*
Nec canit; ut totis pastorea fistula sylvis
Sordeat? huc age: sint Musæ, sit dexter Apollo.
Hic canimus: malus ut rumpatur & Ilia Momus.
Men. *Ipsum equidem hoc tecum queribundus, amice, dolensq;*
Advenio, Melibœe. Nec est mora. Vel mea sylvæ
Auscultent, Satyríque; feri vel carmina montes.
Incipe. nunc ipsi, satis est, venère juvenci.
Mel. *Prima poli veniens deducat vertice magnum*
Vrania, & dulci perfundat nectare carmen.
Illa colit cælum: terram si fortè colat; jam
Rideat & cælum; colat & pax aurea terram.
Men. *Proxima Calliope. Quid magnum quæritis ultrà*
Pastores? nihil est. Hæc cælo serviat: illa
Regnet agros. Sic dulce solum: sic plurimus agris
Venit honos: pleno sic ridet copia cornu.

Mel. *Iuppiter effatis iterum cum redderet arvis,*
Astræam, cultumq́; sui, moresq́; relictos:
Ite, ait: & juncti caulas sociate Britanni
Hæc est, quæ vestris debetur gloria fatis.
Men. *Ite, ait, & magnum sacrate in marmore* DAPHNIN;
Et quæ conjugio juncta illi nympha superbo:
Et quem conjugio parit illi nympha superbo:
Hi sunt, qui vestris æquabunt omnia votis.
Mel. *Pulchrior, & nymphis formosior omnibus una,*
Se Tamesis liquidas speculata Amaryllis ad undas
Concepit fastus nimios; nigramq́; vocavit
Phyllida; nec timuit Nemesin; nec Daphnidis iram.
Men. *At se Phyllis amat, quamvis sit fusca, sibi sat*
Strenua, Nec natûm piget, & nec nominis illam.
Sed si DAPHNI *vocas; junctæ si gloria caulæ;*
Non ultrá natûm meminit; non nominis illa.
Mel. *Audijt: & sibi componi indignata, refugit,*
Atque iterum speculum respexit: & heus, ait, an me,
Ponere me, nomenq́; coegeris? (O!) bone Daphni,
Desine. Non nostro certet tua Phyllis honori.
Men. *Tityre, tuq́; ingens Alcon, seu cernere cestu,*
Sive, in graminea cursu sudare palæstrâ,
Cernitis hæc? vósque (O!) alij, queis Græcia nullos
Præferat; & nullos, queis prisca Amaryllis alumnos.
Mel. *Ocnus ubi est? ubi dius Las? soloq́; minores*
Daphnide; seu cantu, seu decertare cicutâ
Phylligenæ? vos hæc sic spernit? at Enthea virtus
Consecrat: & magno magnos dignatur Olympo.
Men. *Vidi ego cum peteret, quos nuuc fastidit: & vltrò*
Compellans blandis mulceret Phyllida dictis.
Vidi ego cum multis sponderet munera verbis:
Forsitan & veris oneraret sydera votis.

Mel.

Mel. *Quid miremur opes? luxum aut laudemus inertem?*
Quid formæ periénſve decus? pexóſve capillos?
Es formoſa, Amarylli: at ſpernere inania diſce:
Sæpe ſub hirſutâ virtus latet ardua fronte.
Men. *At neque tam informis, nec diſcolor iſta; ſororem*
Quem noſcas. Natos, Rheni ſi cernis ad undas;
Jures eſſe tuos: vultu, pariliq; vigore:
Ipſiq; inter ſe, nota ſe voce ſalutant:
Mel. *Audierant magnas quondam teſtantia luctas*
Flumina, Tueda pater, Carronq;, & maximus Humber:
Et procul (O!) ſatis eſt ſudatum. (O!) ſtragis abundè
Vidimus: undantes & ſanguine volvimus amnes.
Men. *Nectite centenis adamantina vincula nodis*
Paſtores; nil eſt nimium: nil credite abunde:
Ne rurſùm ad caulas vigiletur; & horrida rurſum
Lis, fera diſcordes trahat in certamina tauros.
Mel. *Improbe livor inique bonis conatibus, O! te*
Fulmine ſub patrium retrudat Iuppiter Orcum:
Sive Tago venias, ſeu Tybride, ſeu, Tanais te
Miſerit: haud noſtro ſatus; haud, puto, natus in orbe es.
Men. *Spargite agris cineres, totamq; inſpergite Iernam:*
Et Moly, & cæli ſacros aſpergite rores:
Toxica ne Lybiæ nobis, Circeſve, Stygíſve
Officiant: cunctis mors hæc eat ora venenis.
Mel. *Termine cede: quid hic ageres? communia cernis*
Paſcua. Nulla ſuos Phyllis diſcriminat agros:
Nulla ſuos Amaryllis. Et hos agnoſcit, & illos
Vtraq;; nec proprios diſcernere curat alumnos.
Men. *Dulcis Hymen; quo non aliud præſentius vſquam*
Iungere manſuris mortalia pectora vinclis:
Necte animos; miſceque genus, ſtirpemq; futuram:
Et ſciat eſſe ſuos verè Nympha utraq; natos.

Mel. *Pan ades, & totam curâ complectere caulam*
Sepibus occlusamq; hirtis, sartamq; ruinas:
Coge greges memor ipse, & dulces mitis amores
Aspira, nostris ut eat concordia septis.
[illegible]en. *Tu quoque casta illi sacris operata juventus*
Thure cole, & mica salis. Ipse altaria tangens
Tityrus, & poscat veros, & reddat honores.
Maxima sic nostris assurget gloria cœptis.

FINIS.